



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Unius Necessarii pars ...**

Ubi agitur De Cognitione Dei - Quanti nimirum momenti illa fit, & quibus  
praesidiis obtineri ab unoqueque hominum possit

**Rogacci, Benedetto**

**Pragae, 1721**

Caput XXI. De infinita Dei virtute, & potentiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54487](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54487)

dum, atque gradum attolli nunquam poterit, ut par tuæ evadat, sed infinitè, semper ab illa distabit. Quanta inter duas illas comparationis notas, *sicut, & sic* inæqualitas sit, tibi uni fas est ad plenum comprehendere: sed non itè fas est, creatæ ulli menti omnino explicare. Reliquum est, ut satis habeam te cognoscere, tanquam omni quâ humano, quâ Angelico intellectu infinitè superiorem: adorans, quanta possum maxima cum demissione animi illius immensitatem scientiæ, quam mihi nullo pacto percipere licet, quæque vel densissimas inter umbras spectata, omnem omnino angustiæ meæ mentis facultatem confundit, atque obruit.

## CAPUT XXI.

## De infinita DEI virtute, &amp; potentia.

**D**uplex mensura, qua ad colligendam aliquatenus divinæ immensitatem scientiæ usi sumus, non minori nobis erit usui, ad aliquam pariter divinæ potentiæ, virtutisque speciem in mente formandam. Infinitam est

se illam vidimus, ratione tum innumerabilium objectorum, quæ comprehendit, tum admirabilis modi, quo illa comprehendit. Et infinitam esse hanc item videbimus, siue illa pensentur, quibus efficiendis par est, siue singularis in eorum effectione operandi præstantia. Dicimus DEUM esse potentiam, (ita Magnus Areopagita) ut qui præhabeat in se, & super quam habet omnem potentiam, & ut infinite potens non solum omnem potentiam producendo, sed & supra omnem potentiam existendo: & quod de super possit innumerabiliter infinitas alias potentias producere: & quod infinite infinito numero productæ potentie nunquam possint supra quam infinitam ejus potentie effectionem hebetare: quodque ineffabilis, & incognoscibilis, & inexcogitabilis sit omnia transcendens ejus potentia. (De Div. Nom. c. 8.)

2. Et primò quotuscumque non videt quam extraordinarii, creatam omnem vim transcendentem, & certo quovis numero ultiores sint divinæ virtutis, potentiæque effectus. (Job. 9.) Qui facit magna, & incomprehensibilia, & mirabilia, quorum non est numerus. Quod ad magnitudinem spectat, si aliud ejus monumentum non adesset; solus posset sufficere orbis terrarum, in primarias quatuor su-

as partes, Europam, Africam, Asiam, atque Americam divisus, quarum quælibet, si provinciarum eam componentium numerus, & amplitudo attendatur, mundi penè exhibet speciem. Quidnam, rogo, de tam vastæ molis fabrica nos sentire par est? Quanta vi opus fuisse arbitramur, ad eam procreandam, & stabili fundamento imponendam, & ad immanem illam foveam, quâ totum continetur mare in illius gremio excavandam? Quandonam totius humani generis manus extruere opus possent, quod vel millesimam illius partem æquaret. Et tamen tantus hic globus, præ quo ad nihili penè instar decrescunt celebratissima quælibet humanæ potentiæ artefacta, & molimina: quid, nisi exiguum quoddam videri punctum potest, ad cælestium orbium amplitudinem, qui, alii aliis inserti, ambitu penè immenso illum undique circumcludunt? talis est magnificentia divinæ omnipotentis dexteræ, quæ si progredi ulterius nequiret, sed ultimas hinc haberet operandi metas; nonne par etiam sic foret, ad nostram imbecillitatem sui admiratione, reverentiâ, & terrore complendam? (*Deut. c. II.*) *Ipse est DEUS tuus, qui fecit hæc magnalia, & terribilia, quæ viderunt oculi tui.* Atqui sciendum est, quidquid admira-

ra-

rati hactenus sumus, non nisi exiguum specimen esse admirabilium effectuum, qui in divina continentur potentia. Constat siquidem, posse DEUM, quodocunque illi arrideat, innumeros recentes mundos sine ullo labore in lucem producere, quorum unusquisque partibus componatur millies majoribus, quam partes sint mundi actu existentis: adeo ut terra ibi nostram hanc millies excedat, eademque proportione alia elementa, eadem caeli, atque sidera horum, quae intuemur, magnitudinem superent. Imò extra omne dubium est, vires illi idoneas suppetere, ad alios, aliosque innumeros mundos temporis momento creandos, tantò singulos praesenti ampliores, ut hic praesentibus illis non nisi granum milii videatur. *Ipsè enim omnipotens super omnia opera sua. Terribilis Dominus, & magnus vehementer, & mirabilis potentia ipsius. (Eccles. 45.)*

3. Nec minùs fortasse operationum vis, quàm operum vastitate admirabilem DEI potentia se prodit. Ille siquidem est, qui ventis spiritum sufficit, ad commovendum tanto impetu aërem: ille, qui tam praecipiti motu, horrendoque fragore ejaculatur fulmina: ille, qui tam furibundis tempestatibus maria permiscet: ille, qui formidabili adeo tremore

reterreni orbis fundamenta succutit: ille de-  
mum, qui incredibili velocitate vastissimas cæ-  
lestium corporum moles continenter circum-  
agit, adeò ut sol, terrarum orbe toties major,  
singulis horis plùs quàm septies millena milli-  
ariorum millia percurrat: cursu sanè tam ra-  
pido, ut si propiùs terram perageretur, ad o-  
mnes illius silvas succendendas, ad omnia ob-  
ruenda ædificia, & ad ipsam montium solidi-  
tatem conterendam sufficeret. Quænam, ro-  
go, quàmque obstupescenda hujusmodi acti-  
onum vis est? Adde jam alias, universum na-  
turæ ordinem supergredientes, & ipsius tan-  
tummodo proprias: cujusmodi sunt, facul-  
tas igni tartareo indita ipsofmet urendi exper-  
tes corporis spiritus: futura extremo mundi  
die nostrorum corporum è sepulchri cineri-  
bus ad immortalem vitam instauration: ineffa-  
bilis divinæ, humanæque naturæ in unicam  
personam conjunctio: specierum panis, at-  
que vini, post mysticam consecrationem, per-  
mansio extra omnem materiam, & sinè ullius  
substantiæ adminiculo: latentis denique sub  
iisdem divini Corporis tot simul in locis exi-  
stentia, & purorum quidem spirituum ritu,  
adeò ut & totum, in quo existit, loci spatium,  
& quamlibet ejus partem toto se occupet. A-  
cti-

ctiones enim verò novitatis tam miræ, & humano quovis cogitatu majores; ut, nisi divinæ revelationis autoritas juberet eas credere, nemo nostrum veras, nemo existimasset possibiles. Præsertim quòd per virtutem hujusmodi posset DEUS unum corpus in cunctis simul mundi spatiis replicare: efficiendo, ut, exempli gratiâ, unus homo, ita ubivis eodem tempore existens, immensi instar populi universum occuparet orbem terrarum: & musca una totum aëris elementum suo corpusculo impleret: quemadmodum è contrario spirituales existendi modum, cælis, elementis, & aliis quibusque corporibus tribuens, totam posset mundi universitatem, sinè ulla rerum sese mutuò penetrantium læsione, intrâ nucis putamen contrahere. O incomprehensibilia, nec satis unquam admiranda divinæ virtutis ostenta! *Quis sufficit enarrare opera illius? virtutem autem magnitudinis ejus quis enuntiabit? Non est invenire magnalia DEI. Cùm consummaverit homo, tunc incipiet. (Eccles. 18.)*

4. Prodigiousissima demum apparet summi rerum Conditoris potentia, ratione innumerabilium effectuum, quos intrâ virtutis suæ orbem complectitur: cùm quæcunque sive in cælo, sive in terris, sive in aquis, atque aëre  
in.

intuenda se objiciunt, tot nempe fiderum species, tot marmorum, metallorum, geminarum, tot arborum, fruticum, herbarum, leguminum, florum, tot volucrum, piscium, vermium, serpentum, quadrupedum, omnia suum esse illi acceptum referant, omnia se esse illius opus uno ore testentur. (*Ad Rom. ii.*) *Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia.* Sed ubinam spirituales Angelorum substantias reliquimus? Huc huc imprimis debet mentis aciem convertere, qui dignius aliquantò æstimare velit, quàm innumera divinarum manuum sint opera: sive enim de illorum multitudine Gregorium Nissenum interroget, audiet, (*De Hom. Opif. c. 17.*) *Ad infinita prope millia diffundi:* sive Dionysium Areopagitam percontetur, tantam is respondebit esse, ut *contractam materialium nostrorum numerorum rationem prorsus excedat.* (*De Div. Nom. c. 9.*) sive Thomam Aquinatem consulat, discet ab eo, cum substantias perfectiores præstare inferioribus conveniat, vel qualitate molis, si corporeæ sint, vel, si spirituales, numero; quemadmodum corpora cælestia, ob majorem naturæ suæ perfectionem, caducis nostri orbis corporibus secundum magnitudinem penè incomparabiliter præstant; sic



fic (1. p. q. 50. a. 3.) *Rationabile esse, quod im-*  
*materiales substantiæ excedant secundum multitu-*  
*dinem materiales, quasi incomparabiliter: sive de-*  
*um certior fieri ex sacris Literis curet; inve-*  
*niet jam descriptam instar exercitûs, qui cer-*  
*to definiri numero nequeat, ceu in illis Libri*  
*Job verbis, (c. 25.) Numquid est numerus mi-*  
*litum ejus? jam expressam per majores sum-*  
*mas, quæ concipi ab hominibus solent, ut in*  
*illa supputatione Danielis: (c. 7.) Millia mil-*  
*litum ministrabant illi, & decies millies centena*  
*millia assistebant ei. Ubi supra citatus Areopa-*  
*gita nihil aliud significari ait, nisi numerum*  
*quempiam extraordinarium, immensum, ma-*  
*ximos, qui comperti nobis sint, excedentem,*  
*nec humanæ arithmeticæ studio assequendum.*  
*Quæ cum ita sint, quantam, rogo, eam esse*  
*virtutem dicendum est, quæ uno temporis*  
*puncto, unicoque Fiat, è nihilo in lucem e-*  
*vocare potuerit, tam insupputabilem spiritu-*  
*um numerum, tanta dignitate naturæ eminent-*  
*tium, ut unus eorum quilibet, si Joanni Chry-*  
*sostomo credimus, omnium rerum sensibili-*  
*um universitati pretio antecellat? (Hom. 3. in*  
*Anom.) Nostis unumquemque Angelorum parem*  
*esse universæ huic creaturæ visibili, vel potius mul-*  
*to nobiliorem, ac præstantiorem. Sed enim verò*  
*quan*

quantumcumque iste sit effectuum numerus; vix minimo potest major videri, quæ aliis effectibus, qui usque plures, & plures intrâ inexhaustam divinæ omnipotentiae efficacitatem supersunt. Nam præter rerum hæcenus conditarum, seu sensibilium, seu spiritualium multitudinem, amplissimam illam quidem, & nostro quovis captu majorem, sed certo tamen modo finitam, potest DEUS, ut jamjam demonstrabimus, pro suæ virtutis exporrectione ad quidquid naturâ est possibile, alias atque alias, non infinitas solummodo, verum etiam infinite infinitas creare. *Multa abscondita sunt majora his: pauca enim vidimus operum ejus.* (Ecles. 43.)

5. Et sanè divinam potentiam ad quidquid est possibile extendi, nempe ad omnes effectus, quorum natura peculiarem cum existentia oppositionem non habet, manifesta adeo veritas est, ut non facilè invenire hominem sit, qui, credens esse aliquem DEUM, primam scilicet, perfectissimamque, & summam rerum causam, virtutem ei detrahat efficiendi, quidquid in tota rerum possibilium latitudine continetur. *Longè est ab opinione, quam de DEO habemus, aliquid ei impossibile esse:* scribit Nissenus (*In Catech*) Dubitari quidem

à multis poterit, sitne aliquid revera possibile: sed, hoc admissio, nemo unus, teste D. Augustino, existet, adeò primæ causæ parum intelligens, qui ejus virtute contineri illud neget. (*Serm. 39. de temp.*) Non dico, da mihi Christianum, da mihi Judæum: sed da mihi pagannum, idolorum cultorem, dæmonum servum, qui non dicat DEUM esse omnipotentem. Negare Christum potest; negare omnipotentem DEUM non potest. Hinc, non in sacris solùm paginis legimus: (*Matt. 19.*) Apud DEUM omnia possible esse, supràque septuagies magna omnipotentis appellatione insigniri eum reperimus, addito etiam alicubi, quasi hoc proprium illi esset nomen, (*Exod. c. 15.*) Dominus, quasi vir pugnator: omnipotens nomen ejus; verùm ipsi etiam Ethnici eandem illi suis in monumentis prærogativam tribuerunt, ceu Mercurius Trismegistus, quo authore, (*Ascl. 8.*) *Ille voluntate sua prægnans parit, quidquid voluerit præcreare*: Pythagoreæ verò Philosophiæ sectatores, ubi mirum aliquod referri prodigium audierunt, soliti sunt eos statim Lini versus depromere, (*Ap. Mars. Fic. 13. de Immort. c. 4.*) *Credenda sunt omnia, nihil est incredibile. Facilia DEO sunt omnia, nihil est impossibile.* Quibus addere Ovidium quoque fas est, sic canentem

tem: Immensa est, finemque potentia cæli non habet, & quidquid superi voluere, peractum est. (L. 8. Metam.)

6. Neque profectò existimare secùs potest, quisquis duo hæc vocabula, DEUS, & res possibilis, rite cognita habeat. Nam nomen, DEUS, principem, supremamque causam significat, unde, quotquot aliæ sunt inferiores causæ, suam operandi virtutem acceperint. Possibile verò aliquid esse, idem valet, teste D. Thoma, (L. 2. c. Gent. c. 22.) ac nonnullam in mundo reperiri causam, quæ illud efficiendi vim habeat. Unde palàm sequitur, neque posse alicujus rei possibilitatem animo concipi, quin concipiatur virtus aliqua existere, ad illam efficiendam idonea; nec virtutem hujusmodi posse usquam existere, quin existat in DEO. Si enim ipsi, qui princeps rerum omnium causa est, deesset; nulli certè alteri causæ convenire posset: sique nec ipsi, nec ulli alteri conveniret: deficeret pariter effectûs possibilitas, qui possibilis supponebatur.

7. Præterea nemini esse dubium potest, quin DEUS & vim habeat è nihilo aliquid efficiendi, & si illam revera habet, quidquid naturâ possibile est, valeat efficere. Revocari

in dubium prima pars nequit. Nam, ut optime arguit D. Bernardus, si DEUS nihil posset, nisi ex materia producere; ipsam certè materiam producere nequiret, nec proinde primum, & universale esset omnium, quæ existunt, principium. (L. 5. de Cons) *Ipsè omnia fecit. Unde? de nihilo. Nam, si ex aliquo fecit, illud non fecit, ac per hoc nec omnia.* Et confirmatur eadem veritas: certissimo quippe constat, ad procreationem spiritualium rerum, quales Angeli, animæque hominum sunt, materiam nihil opis conferre: ac proinde dicendum necessariò est, non ex aliqua virtute materiæ, sed ex mero nihilo potuisse illas fieri. Confirmatur rursus, quia, quantò quævis causa est perfectior, magisque universalis, tantò pauciora desiderat ad operandum adjumenta & subsidia. Quemadmodum ergo natura, quòd arte sit perfectior, & plurium effectuum causa, nequaquam instar illius totà, perfectaque substantiâ, putà ligno, aut marmore ad operandum indiget, sed in sola, atque nuda operari potest materia; sic DEUS, author naturæ, illaque præstantior, & latius patens causa, magis quoque illâ debet ipsemet sibi ad agendum sufficere, neque ullam proinde materiam, velut ipsa, necessariò requirere: sed

fi.

finè hoc apparatu, posse ex mero nihilo suos effectus producere. Quocirca tres possumus diversi generis causas distinguere, easque pro cujuslibet perfectione ita ordinare, ut primum atque infimum gradum arti assignemus, ut quæ ad suos effectus naturali quapiam substantia, aliunde jam perfectâ, absolutâque indiget, nec aliud præter externam aliquam speciem, operando illi adjicit. Secundum, mediumque naturæ, utpote quæ unam duntaxat substantiæ, à se efficiendæ partem, nimirum materiam requirit, & huic mox alteram partem, formam videlicet illius absolutioni necessariam operatione sua addit. Tertium denique, & summum Omnipotentia divinx, quæ nihil ex re producenda desiderat, sed eam sola sua virtute totam, quanta est, & secundum omnes illius partes producit.

8. Demonstrato jam in hunc modum, & extra controversiam posito, nullâ DEUM præcedente materiâ ad res procreandas egere, sed posse illas secundum omne id, quod sunt, ex puro nihilo in lucem educere, nihil jam dubii circa alteram propositionem superest: quod nimirum vim habeat efficiendi, quidquid omnino effici potest. Nihilum siquidem immensi cujusdam ærarii instar est, quæcunque

Qq 3

pos.

possibilia sunt, continentis: unde vel nullum potest, vel quodvis esse produci: nullum, si clausus; quodvis, si patens in illius penetralia aditus sit. Et verò, quidnam causæ est, cur causis creatis impossibile omnino sit, vel minimum quemvis effectum, putà herbæ folium, aut milii granum è nihilo extrahere? non aliud profectò, nisi quia impervium eis est illud rerum possibilium ærarium, nisi quia idoneis clavibus carent, ad referendas illius fores; nisi demum, ut extra metaphoram loquar, quia non habent in se ipsis, inque mera sua voluntate virtutem operandi, æquivalentem iis accidentibus, quibus, tanquam necessariis instrumentis naturales causæ uti solent, ad rite præparandam materiam, & effectus in ea procreandos. Quare, cùm præter suam virtutem, huiusmodi quoque subsidiis ab ea distinctis indigeant, cùmque his nullus sit locus, ubi omnis abest materia; sequitur necessariò, ut nequeant ad nihilum manus extendere, & vel minimum indè effectū in lucem proferre. Quòd si ad producendum serpilli folium, aut milii granum, sola illis, locò externi adjuvamenti, sua interior voluntas sufficeret; quis non videt, facillimum ipsis fore, etiam ex nihilo eiusmodi effectus creare? Imò quis non

videt, quemadmodum non majoris negotii, & difficultatis est maxima quæque operum possibilium, putà alterum mundum, vel novos mille mundos, quàm exiguissima, ceu serpilli folium, & granum milii velle; sic non minus facile ipsis esset serpilli folium, aut milii granum è nihilo educere, quàm alterum mundum, vel novos mille mundos, & quidquid præterea est rerum possibilium indè in lucem proferre? Certè si aliquem architectum esse nobis constaret, qui, ad ædificandum, nullis instrumentis, nullaque indigeret materiâ; & re ipsa videremus, in vacuo & patenti æquore, amplissimam subito domum, ad merum illius imperium, existere; colligeremus hinc procul dubio, posse ab eo, quotcunque alia velit ædificia eadem facilitate excitari. Quapropter cum indubitatissima fide teneamus, posse à DEO sinè omni materia, externoque instrumento, sola divina sua voluntate aliquid fieri, & re ipsa sic cælum, sic terram, sic Angelos ab eo esse procreatos, nec aliter procreari hominum animas, quæcunque produci indies singulos pergunt; colligendum hinc nobis pro certissimo est, nihili penetralia ipsi uni patere, cum omnimoda potestate, quidquid unquam voluerit, ex inenso illo naturarum omnium possibilium ærario



in existentiae lucem promendi. Paucis : qui ex nihilo efficere aliquid potest ; totam efficiendi vim in sola voluntate sua habet. Atqui voluntas, quo pacto in unum ex objectis suis tendit, eodem in quacunque alia potest tendere : si ergo idem est velle ipsam, unum aliquod ex iis esse, ac illud efficere ; idem quoque erit, quacunque alia velle, ac effecta protinus dare. Qui ergo, sicut DEUS, & quidem unus, vim habet efficiendi quidpiam ex nihilo, utpote qui per solam voluntatem suam operatur, etiam cuilibet rerum possibilium applicare hanc æqualiter potest ; & sic plenissimam obtinet vim, educendi ex nihilo, quidquid potest velle, quidquid nempe effectuum inde potest educi. Concludo allatis paulò antè Trimegisti verbis : *Voluntate sua pragnans parit, quidquid voluerit procreare.*

9. Hinc, cum activa DEI virtus, quidquid est rerum possibilium, pro objecto, & materia operandi habeat ; nemini obscurum esse potest, quin infinita dici possit, imò infinita etiam major illius amplitudo. Perlustrantes siquidem mentis acie immensam possibilitatis totius vastitatem, sive quoad diversas rerum species, quæ ibi occurrunt ; sive quoad substantias singulares, quæ in unaquaque earum continentur, nullum sanè possumus,  
tam

tam in una, quàm in altera deprehendere multitudinis terminum. Et quidem singularum substantiarum, seu individuorum intrà unamquamque speciem possibilium infinitas à nemine revocari in dubium potest: cùm nulla appareat ratio, quare post quocunque eorum producta, plura & plura finè omni termino nequeant produci. Sed neque de pari diversarum specierum multitudine infinita Dei perfectio dubitare nos finit. Cùm enim nihil aliud diversæ rerum creatarum species, quàm peculiare quædam universalis sui prototypi, divinæ nimirum essentiæ imagines sint, cùmque nulla imago creata immensissimum illud exemplar ad plenum, & secundùm omnes perfectionis suæ numeros valeat referre; hinc post quantamcunque multipliciter, & præstantiam imaginum nondum satis repræsentata, melius semper ac melius repræsentari potens pulchritudo ibi superest; & ità in nullo imaginum, quæ indè aut expressæ sint, aut queant exprimi numero, ultimus potest illius imitationi terminus statui: adeò ut aliæ semper, atque aliæ super sint, à quibus novo, diversòq; exactiori scilicet modo potest referri. Quæ probatio, ut clarior adhuc fiat, observandum est, innatam rebus possibilitatem, quamvis

Q q 5

pro-

propriè consistat, in nullo earum naturæ cum existentia diffidio, si ad ultimam tamen suam causam, & originem revocetur, non aliunde proficisci, quàm ex divina essentia, prout hæc diversimodè participari, atque exprimi potest; ideò quippe hæc, aut illa rerum species ab existentia non abhorret, quia peculiaris quædam est ratio, secundùm quam DEI essentia congruenter participari, & exprimi potest. Quapropter, cum nullus ejusmodi rationum designabilis numerus sit, quin secundùm plures, pluresque alias participari, & exprimi divinæ essentiæ immensitas queat; nullus quoque designari terminus potest; quin ultra eum specierum possibilitas magis semper, ac magis se porrigat. Licet itaque ad extremum colligere, cum & infinitæ rerum species, & infinita intrà earum unamquamque individua creari à DEO possint; infinitas prorsus esse substantiarum ab eo creabilium infinitates: illiusque effectricem potentiam, ceu suprâ affirmavi, posse meritissimè dici, non simpliciter tantùm, sed & infinitè infinitam.

10. Quibus argumentis præterquam, quòd primam mei thematis partem asserui, alterius quoque fundamenta videor jecisse. Manifesta quippe inductio demonstrat causarum

vir.

virtutem, quò latiùs patet; eò etiam præstantiorem in agendi modo esse: ceu palàm intueri fas erit, si sensum communem cum externis sensibus, animam rationalem cum animabus brutorum, Angelorùmque intelligendivim cum humana comparare libeat: in singulis enim hujusmodi comparationibus, partem illam, quæ plures effectus sua virtute complectitur, majori itidem cum perfectione operari videbimus. Cùm itaque jam abundè ostenderit, quanto intervallo creatæ cuius potentia divina antecellat, ratione infinitæ amplitudinis, quæ ad rerum omnium, sive existentium, sive possibilium effectum se extendit; reliquum est, ut aggrediamur hinc porro explicare, quantum pariter quibuslibet aliis causis præcellat, secundum perfectionem agendi: velocitatem nimirum, facilitatèque sinè ullius externi auxilii indigentia. Quæ prærogativæ, & quantò luculentius in operando sui specimen præbent, tantò majorem esse probant operantis virtutem, & in DEI operationibus usque ad miraculum, imò ultra omnem miraculum eminent.

II. Et primò majoris virtutis indicium esse operari velociùs manifestè probat inæqualis celeritas sive duorum ignium, hujus  
ma-

magis, illius minùs validi in eadem combu-  
 renda materia; sive duorum jumentorum, ro-  
 busti unius, enervis alterius, in pondere eo-  
 dem trahendo: sive duplicis ingenii, unius  
 præstantis, vulgaris alterius in eadem lucubra-  
 tione absolvenda, & omnium tandem causa-  
 rum in propriis efficiendis operibus: quarum  
 nonnullas paucis diebus eos absolvere effe-  
 ctus videmus, ad quos imbecillioribus aliis vix  
 totidem menses sufficerent. Quapropter Ma-  
 rius ille, familiaris Tiberii Cæsaris, hoc in-  
 primis argumento usus est ad suam nescio cui  
 inferioris fortunæ homini demonstrandam  
 potentiam. (*Dion. L. 58.*) Cùm enim ad cœ-  
 nam Marius eum invitâisset, eâ durante domũ  
 illius funditus dirui, & solo prorsus æquari  
 curavit, non absque stupore alterius, cùm à  
 convivio redux divinare non posset, unde-  
 nam, quòve pacto repentina illa clades sibi  
 accidisset. Postridie eundem ægrum animi,  
 nec habentem quò se reciperet, rursus Mari-  
 us convivam suum eum esse voluit: efficiens  
 ut intrà breve epuli spatium, nova illi, & ma-  
 jor supraprioris ruinas construeretur domus.  
 Quam dum ille post peractum convivium ità  
 subitò renatam miratur, & num vera illa spe-  
 cies, an somnii ludibrium sit, secum dubitat;

Ma-

Marius utriusque eventus se authorem fuisse professus est, admonens simul, ut habere amicum studeret, qui non longiore, quam unius diei spatio, tantum & nocere, & prodesse illi posset. Nec alia usitator, certiorque nota est, per quam à naturæ operationibus distinguantur miracula ab altiore virtute patrata: cum scilicet hac agente videamus eos subito effectus existere, quibus maturandis causæ naturales longi temporis morâ eguissent. Quale fuit aquæ in vinum transmutatio imperio Christi Canæ peracta: quæ licet quotannis à terra, superfusas è cælo sibi pluvias in uvarum succum vertente, renovetur; nihilominus, quia non repente, unòque, ut Canæ temporis puncto, sed lepta plurium mensium molitione fit, tanquam res tralatitia, & vulgaris vix animadvertitur, nedum in miraculi loco atque pretio habetur. Unde etiam fit, ut prodigiosos soleamus artifices eos appellare, qui opera longo temporis tractu aliorum inter manus hæsuræ, primo penè aggressu, conatùque perficiunt. Cedo jam, quanto tempore immortalis faber opus haberit, ad peragenda sua opera. Nihilo majori, respondet Philo, quàm quod ad ea imperanda requiritur. (*De Sacr. Abel.*) *Dictum & factum*

*Etum*

*etum idem est DEO.* Intuere hosce cælos, intuere hæc elementa, intuere has tot tamque differentes substantias, è quibus mundus componitur: *Ipsè dixit, & facta sunt.* (Ps. 148.) Inter simplex illius jussum, ut fierent, & effectiorem eorum, nihil temporis intercessit, *Dixit, & protinus terra è nihilo emerfit: dixit, eodèmq; temporis puncto conditi apparuerè vasti orbes cælorum: dixit, nec quidquam intercessit moræ, quin noveni immortalium spirituum chori illico in lucem prodirent.* Hæc, hæc, inquit Trismegistus, operandi celeritas est, nusquam alibi audita, omnem morem, ac modum excedens, quæque proficisci nequeat, nisi ab infinita virtute: (Ase. 4.) *Quippe cum voluisse, & perfecisse uno eodèmq; temporis puncto compleat.* Ad construendum molis extraordinariæ ædificium, quot annis defudat mortalium Regum potentia? Sit Ephesiæ Dianæ templum, vocatum à Plinio, (L. 36. c. 14.) *Magnificentiæ admiratio, non minùs tamen, quàm ducentis viginti annis factum est à tota Asia.* O vis & potentia humana! quæ non potes, non infirma apparere, etiam ubi illustriorem explicare contendis tuorum decorù pompam. Nunquamne agnoscere incipies, quàm curta, exilis, & despicienda sis, si cum

eo compareris, qui est (1. ad Tim. c. 6.) *Solus potens*? Quid tua isthæc opera, vix longo plurimum annorum labore perfectæ adeò miraris, plenis buccis crepans, (Dan. c. 4.) *Nonne hæc est Babylon magna, quam ego ædificavi in domum regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloriam decoris mei?* Circumfer paulisper oculos, per vastissimam hanc mundi machinam, præ qua nihil majus, quam lutæ lufitantium puerorum casulæ, videri possunt summa quæque humanarum virium molimina: & lege mox in sacra Geneseos historia. quanto tempore supremus rerum Conditor tantum opus absolverit: Imò certissimè tibi persuadeas, momento temporis illum posse, millena, & millena hujusmodi opera, quin & longè majora in lucem producere.

12. At forsân hæc summi Opificis in agendo celeritas ex vehementi quopiam conatu oritur, qui laboris contentione brevitatem temporis suppleat? secùs omnino. Quin potiùs adjunctam sibi facilitatem habet, multò illâ majorem, qua nos ordinariis actionibus fungimur. (Jer. c. 32.) *Ecce ego Dominus universæ carnis, Numquid mihi difficile erit omne verbum?* Decus enim verò singulare, & miræ argumentum virtutis: quale agnovit Julius Cæsar, Phar-



Pharnacem Ponti Regem solo occurſu, aſpe-  
 ctuque à ſe proſtigatum fuiſſe, glorians: *Veni,  
 vidi, vici.* (*Plut. in vita.*) DEUM verò nullo  
 labore & conatu ad ſua opera indigere, pro-  
 num eſt cuius perſpicere, ſi perpendat ideo in  
 effectione alicujus operis conatu, & labore o-  
 pus eſſe; eò quòd operans vel aliquid obſta-  
 li in re efficienda inveniatur: vel minori virium  
 præſtantia, & agendi facultate ſit præditus.  
 Age jam, quid DEO in ſuorum operum maxi-  
 mo, nempe in mundi creatione potuit obſta-  
 re? Num mundus ipſe? at quomodo? cum  
 res quævis nihil optet magis, quàm ex mera  
 poſſibilitatis ſtatu ad actum exiſtentia produ-  
 ci? An nihilum, unde is erat promendus? at-  
 qui hoc, ceu adjuvare operantem nequit, ſic  
 neque ullam eidem reſiſtendi vim habet.  
 Quando igitur nihil DEUS extra ſe impedi-  
 menti, atque obicis reperit, videamus, num  
 aliquo ſaltèm virium, & habitatis defectu re-  
 tardari potuerit. At enim verò, quid ſum-  
 mi roboris, ſummæque virtutis deeſſe illi po-  
 teſt, qui eſt tota agendi facultas: quique ad  
 quidvis efficiendum non alia conditione eget,  
 quàm, ut jubeat rem exiſtere? Fac, Regum  
 aliquis magnificentiſſimam domum, vel am-  
 phitheatrum, aut templum ædificari imperet.  
 Ne-

Nemo fanè non videt, quidquid ibi laboris, & difficultatis exhauriendum sit, ad fabros duntaxat pertinere, qui manus atque vires operi impendunt, Rege interim quiescente, & prorsus immuni, utpote qui nihil eò præter imperium contulit. Atqui talis DEI ratio in quovis suorum operum est. Ut existat, quidquid sibi libitum fuerit, nihil impendere opus habet, præter merum & simplex *Fiat*: quo prolato, etsi nullius inferioris causæ opera accedat; res confestim, suis omnibus numeris absoluta, apparet. Ratio operandi etiam ab Ethnico sapiente ipsi attributa, dum scripsit: (*Trism. Pim. c. 4.*) *Universum verbo, non manibus fabricatus est opifex.* Adde quòd hoc ipsum imperium, quo uno ad omnia peragenda DEUS utitur, neque externa locutio est, ad quam promendam aliquo aperiendi oris spiritusque emittendi conatu opus sit: sed, juxta communem Patrum sententiam, in sola consistit producendæ rei voluntate, qua nihil cogitari potest expeditius, & factu proclivius. Idque expressum videre est illis verbis S. Athanasii, (*L. 3. c. Arri.*) *Ad omnium procreationem sola sufficit voluntas*: expressum à Clemente Alexandrino, cum scripsit de DEO, (*In Protr.*) *Sola voluntate operatur, ut ejus solum velle factum esse*

R r

esse

esse consequitur: expressum à Joanne Chryso-  
 stomo, dum de eodem affirmat, (*Ser. 3. de  
 Incompr. DEI Nat.*) *Satis illi ad omnia fuit tan-  
 tummodo velle: atque, uti voluntas nullum nobis  
 affert laborem; ita nec illi tot, ac tantas condidit  
 virtutes.* Quid multa? expressum pariter à  
 Trismegisto luculentis iis vocibus, (*Ascl. 4.*)  
*Placita DEI necessitas sequitur: voluntatem comi-  
 tatur effectus.* O virtutem sanè incomprehen-  
 sibilem, humanâ omni intelligentia excellen-  
 tior, & DEI solius propriam, promptum &  
 præsens in sola voluntate sua habere, quid  
 quid factu possibile est: nullo alio, quàm solo  
 volendi instrumento posse omnia producere,  
 omnia destruere, omnia transmutare, de o-  
 mnibus, quidquid libeat, perficere! Quis non  
 exhorrescit ad novæ adeò inauditæque poten-  
 tiæ miracula? Aut cuinam, hæc credenti ex-  
 aggerata videri possunt divinæ in operando fa-  
 cilitatis præconia, seu illa, ubi dicitur, *tribus  
 tantum digitis universum orbem terrarum fini-  
 stinere, (Isai. c. 40.) Qui appendit tribus digi-  
 tis molem terræ; sive illa, ubi cæli non illius  
 brachii, sed digitorum solummodo effectus  
 vocantur. (Ps. 8.) Videbo cælos tuos, opera digi-  
 torum tuorum; sive illa, ubi ejus vox cedron  
 dicitur comminuere, (Ps. 28.) Vox Domini*

confringentis cedros, ejusque nutui virtus cælorum succutiendi tribuitur, (Job. c. 26.) Columnæ cæli contremiscunt, & pavent ad nutum ejus? Ah nè unius quidem digiti, nè unius quidem vocis, nè unius quidem nutûs molimine, ad quidvis peragendum, omnipotens indiget. Unico verbo totam rem concludamus. Vis nosse, quàm facile illi sit efficere omnia? tam omnino, quàm nobis nil agere. *Qui extendit, sicut nihilum, cælos.* (Isa. c. 40.)

13. Eximium postremò decus potentia est, nullis ad rerum magnarum effectum egere fociis, instrumentis, aliisve subsidiis, sed posse omnia per se unum conficere. Cujusmodi Herculem antiquitas finxit, celebravitque tanquam fortitudinis humanâ majoris prodigium: quod solus videlicet tot tyrannos, totque monstra profligare potuerit. Cùm è contrario Alexandri & Pompeji, tantò minùs sibi ex victoriis suis comparaverint gloriæ; quantò validioribus copiis succincti eas retulere. Quemadmodum Reges illi, atque Cæsares, quorum jussu Ægyptiæ pyramides, Romana amphitheatra, & similis magnificentiæ ædificia constructa olim sunt; neutiquam dici possunt, unum, in iis per innumeras fabri-  
rum manus erigendis, veræ edidisse specimen

potentia. Hæc siquidem, ceu in nonnullis  
 brevibus dialogis ad Platonis libros adjunctis,  
 statuitur, in operibus cernitur, non alieno  
 ministerio, sed propria virtute effectis. (*Dial.*  
 8.) *Potentia est id, quod per se facit.* Neque  
 ullus rerum prudens æstimator reperietur,  
 quin multò illustrius roboris, viriùmque ar-  
 gumentum censeat illam mille Philisthæorum  
 cædem Samsonis unius dextrâ peractam; quàm  
 ea ferè duodecies centena hostium millia à Ju-  
 lio Cæsare in externis solummodo bellis sua-  
 rum vi legionum (*Plin. L. 7. c. 25.*) interfecta.  
 Qamobrem sapienter Rex Pyrrhus, cum post  
 insignem victoriam, aquilæ nomine consalu-  
 taretur à suo exercitu; ita sanè, inquit, aquila  
 dici possum, sed vestro, milites, munere, qui,  
 dimicantes pro imperii mei gloria, vigentium  
 alarum instar, sublimem ab humo me attolli-  
 tis. (*Plut in vita.*) His constitutis, quisnam,  
 rogo, in hoc decore, magna per se unum pe-  
 trandi, cum DEO potest conferri? Imò quis-  
 nam unus ex omnibus, præter ipsum, *facit per*  
*se*, quidquid facit? Jubeat sanè potentissimus  
 Rex, vastæ molis fabricam erigi: nisi opificum  
 millia ei attollendæ insudent, regale illud jus-  
 sum suo effectum carebit, nec unum laterem per  
 se alteri superponere valens. Unde humili  
 ad-

adhuc stratus jaceret ingens ille Obeliscus , quem in Vaticano nunc erectum, & nubes vertice affectantem suspicimus; nisi ad mille operarum manus super sua illum basi constituisent: neque tota Ægyptiorum Regum potentia immanem illam pyramidem attollere valuisset, quæ inter septem orbis miracula locum meritò invenit; nisi ter centum & sexaginta fabrorum millia (*Plin. L. 36. c. 12.*) suum illi moliendæ, absolvendæque contulissent viginti annorum laborem. At non talia sunt, nec tot administris egent supremi Regis imperia. Jussit ille suo in centro fundari ingentem terræ globum, extendi undique circa ipsum vastissima aëris spatia, & multo vastiore adhuc ambitu à cælestibus eum sphaëris præcingi. Quænam his paria operum monumenta vel imaginari mens, nedum exequi vis hominum potest? Sciscitami jam ex Isaia, quot Angelorum legiones suam illi ad effectiorem tantæ rei operam commodaverint: & audietis, unum ejus jussum, sinè ullius architecti, vel opificis ministerio valuisse, ad exequendum momento temporis, quidquid fieri mandaverat. *Ego sum Dominus, faciens omnia, extendens cælos solus, stabiliens terram, & nullus mecum. (c. 44.)*

14. Perge ulterius: Effectores creati, esto interdum sociis, & adiutoribus ad operandum minimè egeant: non tamen dici vel sic possunt *per se facere*. In nullius quippe magni operis molitione soli omnino sibi ipsis sufficiunt, sed necesse habent propriam virtutem diversis adjuvare instrumentis: penicillis putà, si pingendum; scalpris, si sculpendum; armis, si contra hostes pugnandum. Quòd si sculptorem videremus, absque ullius feramenti subsidio, solis digitis, rudi & durissimo marmori, hominis, aut leonis effigiem, suis omnibus lineamentis & partibus absolutam imprimere: quis non illum pro inaudite virtutis ostento haberet, celebrarétque? quantoque majori adhuc admirationi idem esset, si, nè ipso quidem universali, & à natura omnibus collato manuum instrumento utens, solo oris spiritu lapides & metalla in exactissimam quarumlibet rerum imaginem conformaret? Atqui talis est activa omnipotentis artificis virtus. Ut hanc mundi molem ex tot, tamque variis rerum speciebus coagmentatam efficeret, nè digiti quidem motu, nedum exteriori ullo instrumento opus habuit. Vox, qua existere illum jussit, pro circino, pro malleo, pro ergata, pro brachio, pro manu ipsi fuit.

Ver-

*Verbo Domini cæli firmati sunt, & spiritu oris ejus  
omnis virtus eorum. (Ps. 32.)*

15. Et tamen plus adhuc, quod miremur,  
reliquum est. Non solum infinita ipsius vir-  
tus respuit, ceu omnino supervacuum cujus-  
vis instrumenti subsidium; sed finè ulla etiam,  
in qua operetur, materia, potest sola sua vo-  
luntate ipsummet nihilum in excellentissimas  
qualque substantias convertere. Siquidem,  
juxta Theodoretum, (*Serm. 4. c. Græc.*) *Quod  
cæteris artificibus est materia, & instrumenta, nec  
non tempus, & labor, & diligentia; hoc univer-  
sorum DEO voluntas est: adeò ut per solam hu-  
jus efficacitatem, ubi prius nihil occurrebat,  
nisi merum inane; amplissimus subito condi-  
tarum rerum mundus apparuerit. (L. 2. Mach.  
c. 7.) Aspicias ad cælum, & terram, & ad omnia,  
que in eis sunt, & intelligas, quia ex nihilo fecit  
illa DEUS. Quæ operandi ratio in tantum  
humanas omnes, nedum vires, sed etiam co-  
gitationes transcendit, ut inter prima veteris  
Philosophiæ principia fuerit, (*Perf. Sat. 3.*)  
*Gigni de nihilo nihil, in nihilum nil posse reverti.*  
Et certè impossibile nobis perceptu est, inquit  
D. Cyrillus, quonam modo voluntas artificis  
penetrare intrà nihilum possit, circâque illud,  
quasi circa unicam suæ virtutis activæ materi-*



am, efficaciter adeò operari, ut, occulta illius operationis vi, substantiæ, quarum nullum ibi initium, & semen, per necessarias qualitates paulatim perficiendum existebat, prodeant subito integræ, adultæque, & suis omnibus numeris absolutæ, priusque factas videamus; quàm fieri viderimus (2. in Julian.) *Ineffabili virtute id, quod non erat, neque existebat omnino, ut inciperet esse, produxit. Quomodo enim condiderit, menti nostræ omnino incomprehensibile est.* Quare majoris argumentum potentie videri nobis deberet lapillus ita è nihilo eductus; quàm si eundem cerneremus, repentina metamorphosi in solem converti. Quam igitur æstimari par est illius Effectoris virtutem qui ex nihilo non lapillum, sed mundum valuit producere: cujus omnipotens verbum etiam ea, quæ nusquam existunt, obtemperare jussis suis cogit: (Ad Rom. 4.) *Vocat ea, quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt:* quique pro ærario suo ipsummet nihilum habet: ærarium inexhaustæ opulentæ, & unde ipsi licet, quidquid possibilium rerum velit in lucem proferre?

16. Demum reliquæ omnes causæ, præter impotentiam producendi suos effectus, nisi in materia; nè in hac quidem, ut præ-

sen-

fenti, & parata eos possunt producere, nisi per virtutem à sua essentia distinctam. At Dei infinita, & omnipotens virtus nihil est aliud, quàm ipsemet DEUS: quippe cui, ceu Augustinus verissimè scripsit: *Non est alia substantia, ut sit; & alia potestas, ut possit: nec alio modo est, & alio modo potest: sed esse, & posse simul habet, quia velle, & facere simul habet.* (Tr. 20. in Joa.) Quare etiam unus ipse per antonomasiam, & proprii nominis loco appellari meretur, & in sacris Literis appellatur, (Luc. 1.) *Qui potens est: utpote qui unus omnium quævis sua opera per se facit. Per se, quia adiutoribus in operando, & ministris non eget: Per se, quia nullis opus habet instrumentis: Per se, quia materiam, ubi agat, minimè expectat: & Per se demum, quia sic fortis est, ut ipse sit virtus sua.* (S. Fulg. qu. 2. ad Fer.)

17. Ubinam igitur est humanæ fastus potentiae, quæ utcunque multa, & magna efficiendi vim habeat, semper tamen plura sunt, ad quorum effectum non pertingit; & si quid interdum parit, quod inter creaturarum causarum effectus videri magnificum possit; non per solam suam virtutem, nec finè compluribus externis adjumentis, neque, nisi post diurni temporis molitionem, laborémque il-

lud parit? Conferat paulisper angustos effici-  
 entia suæ fines, cum immensissimis divinæ om-  
 nipotentiæ spatiis: quæ, teste Augustino,  
 (*Enchir. c. 96.*) *Quidquid vult, potest*, nec pro-  
 inde aliam operandi mensuram habet, nisi su-  
 am voluntatem: imò ultra etiam, quidquid  
 re ipsa vult, aut volet, ad ea omnia extendi-  
 tur, quæ velle unquam posset. Nam (*ib. c.*  
*95.*) *Multa potest, quæ non velit: nihil autem vult,*  
*quod non possit.* Conferat imbecillitatem su-  
 am, vel ad pauca illa, quæ potest, efficienda,  
 indigentem tam longi temporis morâ, tam la-  
 boriosis conatibus, tamque multis & variis  
 subsidiis, cum exuperantia virtutis, qua divi-  
 nus opifex citra ullum laborem, aut motum,  
 citràque ullius rei à se ipso distinctæ indigen-  
 tiam, quandoque velit, eodémque, quo  
 vult, temporis puncto producere potest è ni-  
 hilo effectus. sive numerus, sive magnitudo,  
 & præstantia attendatur, humana omni æsti-  
 matione majores. Talem, inquam, compa-  
 rationem apud se instituat: cùmque immen-  
 sam, qua exceditur, intercapedinem viderit;  
 reputet secum, num justam sese suspiciendi,  
 extollendique habeat causam, de exiguo in-  
 tervallo, quo supra vulgi mediocritatem ipsa  
 eminent. Certè nisi offusæ ab assentatoribus ne-  
 bu-

bulæ ipsius mentis aciem prorsus excæcârunt, fieri non poterit, quin sibi omnino displiceat, & coram Conditore suo sese hūmi pronam abjiciens, fateatur, extrema quæque humanarum virium molimina nihil ampliùs præ omnipotentia illius esse, quàm imperfectos, ac debiles ægrotantium conatus. *Quis similis tui in fortibus Domine? Quis similis tui? terribilis, atque laudabilis faciens mirabilia. Tua est magnificentia, & potentia, & gloria, atque victoria. In manu tua virtus & potentia.* (Exod. c. 15. Lib. 1. Paral. c. 29.)

## CAPUT XXII.

De amplissimo, & summo dominii jure, quod DEUS in omnes creatas res obtinet.

**I**ngens dominium ab ingenti potentia nunquam disjungitur, ratione facultatis, quam sese obtinentibus præbet exequendis, si minùs suis, at saltèm aliorum manibus, quod in animo habent. Et quamvis hoc genus potentiaè utpote minùs operantis proprium, minùs etiam eximium altero sit, quo is magna per se ipsum